Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. Ord.
1645. 2.

Maczowski Seb. Ludov: Applausus XII. adolescentibus —

APPLAVSVS
XII ADOLESCENTIBVS
Primam in Philoſophia, & artibus ingenuis Lauream prenſantibus Nomine Muſarum inſtitutus

Præſidente Philoſophicæ Facultati

ADM: REVERENDO

D. IOANNE
CYNERSKI RACHTAMOVIO,
Collega Maiore, S. ANNÆ Decano,

Promouente verò Excellen: Dño,

ANDREA LIPNICIO,
Collega Minore, Eloquentiæ Ordinario Profeſſore.

Per

SEBASTIANVM LVDOVICVM MACZOWSKI,
Eiuſdem Laureæ Candidatum.
Anno Domini, 1645.

CRACOVIÆ, Typis Valeriani Piątkowſki.

212.

In Stemma Nobiliſsimæ DOMVS.



Oſtrorogi campum cur præfert Faſcia apertum?
Virtutis ſplendor ſtricta theatra fugit.
Cur ſpacium nodis ſtrictis concludit inane?
Vt profugos hoſtes illaqueare queat.
Nobilis ergo domus ſit felix munere tanto
Que profert fortes Marte Togâq; viros.

Perillustribus ac Generosis DD.

IOANNI

ET

NICOLAO OSTROROG,

Regni Poloniæ Pocillatoris Charissimis Filijs.

Dominis & Patronis meis fauentiss. S. D.

NON tàm fluctuantis mei ingenij imbecillitate, quàm peramano Vestri beneuoli affectus, erga honestissimarum literarum cultores fauore concitatus, Perillustres ac Generosi Iuuenes, attenuatum primæuo flore mei veris studium, sub Vestrum patrocinium fatis benè ominantibus in votis habui dedicandum. Nec quidem cæco inconsideratæ mentis compulsus impetu, aut inani quodam labefactatæ voluntatis discrimine agitatus, Vestrum leuamen patrocinantis auræ requiro. Multa sunt quibus tanquam firmissimis innixus argumentis propositi mei, negocium omninò ad vos dirigendum duxi. Nam vt illud præteream, quod communi maturioris iudicij vsu receptum & approbatum est (quanquam & hoc in perficiendo studio, summum mihi addit incitamentum) quod si qui laborioso nata ingenio, aliqua publicam lucem cupiunt adorare, patrocinio Mæcenatum amplissimorum eadem muniant, & illustrent. Tum illud me maxi-

mè commouebat. quod nullus Vestri beneuoli affectus exposcens fauo-
rem, repulsam passus fuerit; quin potiùs suorum meritorum firmissimum
in Vobis inuenerit firmamentum. Sed illud etiam mihi non dubia fide
spem bonam ostendit, cum non solum grauium virorum, de Vestro in
amplissimũ Virtutum ornamentũ non mediocri profectu commendatione
concitatus, sed quotidianâ experientiâ commonitus, tàm inconditam Sym-
phoniam, inculti carminis mei, tantò Vobis iucundiorem fore, quanto stu-
dio illa se plurimum debere amplissimo nomini Vestro fateatur. Quis e-
nim condignâ admiratione in Vobis facili negocio comprehendere pote-
rit, à natura inditam ingenij dexteritatem, ad facilè intelligendum opti-
mè compositam mentem, ad retinendum non solum fortis Achillis, sed e-
tiam diserti Nestoris, infusum sibi & Diuinitus oblatum robur, purpura-
scentes morum flores, incomparabilem benigni vultus candorem, eximiũ
inauditæ humanitatis decus, nec non iucundissimum admirandæ affabili-
tatis ornamentum. Profectò magna spes meo studio imposita est; quod
in cassum non abibit, cura meorum obsequiorum, à primis licet initiis, sed
summa cùm animi promptitudine propensum erga vos meum affectum
Vobis declarantia merita; si quidem huius Vestri animi non obscura pa-
tent omnibus documenta. Proinde Generosi Iuuenes hunc ipsum labo-
rem quem bene animatus Vobis dedicare decreui, in Vestra gratia, velut
in clementiæ ara depono; hocque vnicum oro, quod inter cætera mihi
præstita munera rectè numerauero, ne huic perexiguo meo labori, præ-
clari Vestri nominis radios subtrahatis. Non subtrahetis quod spero, sed
clarâ fronte, pro innato Vobis candore & humanitate, qua omnes ad vos
rapitis vobisq; deuinctos redditis, hoc submissionis ac obseruantiæ meæ
in Vos pignus accipietis, meq; Vestro fauore ac beneuolentia fouebitis.
Datum è Musæo Sulicouiano Die 3 April.

Vestrar: Perillustr: Dominat. humillimus

Seruus & ad obsequia promptissimus
Sebastianus Maczowski,
Primæ Laureæ Candidatus.

ODE

DICOLOS TETRASTROPHOS.

Gloriæ præſes Clio.

V. D. IACOBVM BARTIZELOWIC.

Sui Officij participem reddens eidem gratulatur.

O Quis inſuetas Heliconis vmbras
Appulit, tandem properoq; greſſu
Slpendidas ſedes adijt, fauentes
Dicite Muſæ.
Prouidus Bartiſelowic alumnis
Dux ſuis, iſtum redimiuit orbem,
Atq; felici dedit & perenni
Flore vigere.
Laureas poſtquam ſequeris coronas
Siue in extremos penetraris Indos

Longè vbi littus refluâ ſonorum
Tunditur vnda:
Siue tranſaltas gradieris Alpes
Cæſaris viſens monimenta Magni
Gallicum Rhenum, horribileſq; toto in
Orbe Britannos
Tu tuâ fama celebris futurus,
Proſpere ſemperq; perennis ibis
Secla per centea vigebis amplos
Fauſtus in annos.
Perge felici omine ſic parentum
Promptus inſiſtas monitis tuorum
Matris, vt magnum decus, inq; honorem
Creſcere poſſis.

O D E
DICOLOS TETRASTROPHOS.

Amænitatis Parens Euterpe.

V. D. LAVRENTIO SWIERCZOWSKI.
Perpetuum virtutum vſum ex labore peroptat.

COncepta Muſę reddite munera
Tractate cunctos ordine conſcio

Gratantis et mentis minutos
Non cupiant renouare cantus
Secunda virgo subsequeris, tuum
Coniunge votis Swierczouium bonis
Mandata naturę rependens
Protinus huncce ? libens honora.
Non te laborum comprimet anxiis
Curis, nec vllo tristitię grauis
Franget dolore, nec tenaci
Saucia corda daturus vnquam est.
Doctrina nam vim promouet insitam
Rectiqué cultus pectora roborant
Adest senilis promptus aurę
Per benefacta fauor repostus.
Ergo quod omen nunc hilaris dedit
Virago, sumas hoc tibi comprecor
Amicè nostrę per benignum
Pręsidium atq; decus Camęnę.

O D E

DICOLOS DISTROPHOS.

Melodiarum directrix Melpomene.

V. D.

V. D. VINCENTIVM WĘGRZYNOWIC.

Dulci melodiarum ſono allicit ad lauros prenſandas

QVem tu Melpomene ſemel
Doctrinæ roſeo nectare tinxeris,
Illum non tumidæ minæ
Percellent procerum: non metus, aut (leuis
Spes, abducet ab auia
Securum: neq; res lautior, aut honor.
Verſatum inſtar arundinis
Nomen nunc veteri, nunc iterum nouo.
Impellent dare Numini.
Sed quæ limpidulis fontibus effluunt,
Vndæ vertice nobilis
Parnaſſi, facili flumine perluent.
Non Węgrzynouius probro
Te vnquam conficiet, nec tua munera
In caſſum ſinet impiâ
Mentis triſtitiâ cedere degener:
O quæ corpore languidis
Robur ſufficere, & vim potes integram
Totum

Totum muneris hoc tui est
Quod spernat rabidæ tela proteruiæ
Syncerę fidei tenax
Quod Diuis placeat ritè fauentibus.

O D E
DICOLOS TETRASTROPHOS.

Multæ memoriæ Heroina Polyhymnia.

V. D. IOANNI SZMONIEWSKI.
Sui alumni attribuit indolem.

NOn quę purpureis fumet honoribus,
De lauro melior victima Delphicâ,
Æui cui totius prospera mentibus
Flectunt cuncti homines iuga.
Exposcenda venit iam tibi Palladis
O cultor requies lęta Polymnię
Si promptum referes pectore Phocidos
Robur det Polyhymnia.
Jam nunc sollicitos solue iugo dies
Jam nunc florigeræ munera promptior
Lauri concipias, parcus et abstinens
Donis vtere maximis.

Virtutis memores nunc age victimas,
Felix, ſorte bona digna Polymnię
Conferto decoris munera, laudibus,
Hinc lętis celebrabere.

ODE
TRICOLOS TETRASTROPHOS.
Arctiſsimum conſiliorum firmamentum Calliope.

V. D. LAVRENTIVM TRĄBSKI.
Conſilio inNatura.

SVbſiſte vulgus non humiles decet
Gaudere recti conſilij modo
Semper decebat qui canoræ
Calliopes ſocius vocetur.
Fundata florem ſæpe dabit bonum
Incorde Trąbſci iuſtitia, procul
Auulſa tempeſtas eundem
Non feriet minitans quietum.
Natura cui iam tale dedit ſemel
In cuncta pectus, conſilio queat

Præ-

Præſtare præclaro Catoni
Socratico melior Platone.
O ſola doctis digna ſororibus
Non imperito Calliope dabis
Felix iuuamen, non inanis
Ipſa tuum reparabis omen.
Cum pulchra virtus conſilium iuuet
Præclara virtus non pueriliter
Compeſcit indulgetq́; menti
Trabſcianæ benè Suada rectrix.
Inſculpta cælo gloria ſoſpiter
Huius, ſtupendis firmat honoribus
Præcl ra lauri quem corona
Palladijs fabrefacta palmis.

O D E
DICOLOS TETRASTROPHOS.
Cæleſtis Vrania.
V. D. THOMÆ DUBINSKI.
Cæleſtium donorum aperit fructus.

Diue cui ſacrum Pathar ga carmen
Templa per aſtra referunt canora

 Otris

Otris et Cynthus Delos et Cariſtos
Spirat odores.
Huc ades longi mihi teſtis otîi
Sentiat motus procul à nefanda
Sorte diuulſa Vrania tuis de ---
victa querelis.
Candidum cura foueat benigna
Laurea tum Dubinium coronet
Et ſuper vaſti vaga regna mundi
Nomina dicat.
Viuat ęterna melior iuuenta
Floridos menſes potioris ęui
Viuat et longos numeret beatus
Fata per annos.

EPIGRAMMA.

Culta Talia.

V. D. MICHAELI SMIALECKI.

Ingenij perpetuum vigorem pollicetur.

VIdit vt ingeniu n veneranda Thalia Smialecî
Obſtupuit, tandem & talia verba dedit.
In paruo tantas demiror corpore dotes,
Et quam ſis varium promptus in obſequiū.
Quan-

Quando igitur virtus viuaces occupat annos,
Ingenio magnus corpore paruus eris.
Est ad laudis opus via multa; sed eminet illa
Quæ venit è docta Palladis vna libris. (vrge
Hanc quia nunc adamas: pupus licet, i, licet,
Namq; perenne libri laudis agalma dabunt.
Qui sic est rigidam laudis grassatus ad ædem
Perpetis hic famæ vera columna sibi est.

ODE
MONOCOLOS.
Alternos oblectans musarũ choros Terspichore.

V. D. STANISLAO VILANT.

Mediocritatem in vigilatis laboribus suadet.

INterrumpe tuos Vilant labores,
Labores rigidos, acres, edaces,
Nam semper vigil, ô Vilant quod vsq;
Noctes atq; dies, et vsq; et vsq;
Jungas noctibus, et dies serenis
Diebusq; simul seueriores
Noctes, peruigil vsq; et vsq; et vsq;
Naturę genio id facis seuero:

Audi

Audi Terpsichore, id tibi quod vsq;
Noctes atq; dies, et vsq; et vsq;
Non probans vigiles susurrat vltro
Vtro tuq; Deam sub audi amœnam
Sepe sic vigilans, Vilant vt vltro
(Vt semper vigilans, Vilant sis vltro
Noctes sis vigilans, Vilant et vsq;
Dies sis vigilans Vilant et vsq;
Noctes atq; dies Vilant sis idem
Ipse sis vigilans Vilant vt ipse)
Hoc mortalibus omnibus negatum est.
Alternis vicibus labor quiescat:
Alterno vigilet quies labori
Alternas vigilent vices Camenę
Alternis vigila Vilant camenis.

EPIGRAMMA.

VERI AMORIS CONCILIATRIX ERATO.

V. D. IACOBVM PIOTRKOWIC.

Semper hominibus amabilem futurum ob viridem laurum suo omine prænunciat.

MAgna nimis capienda tibi sunt præmia do-
Palladis, Aonij sors Iacobe chori. (ctæ
Nam-

Namq; Erato tibi largitur discrimine nullo
Quæ dantur summis præmia digna viris.
Doctrina vero multum valueris honesta
Quæ tibi amicitias conciliare potest.
Effectus cuius firmis te concitat ansis
Artibus vt pectus dulcibus auctum habeas
Ipse amor & findit terram manesq; sepulchris
Elicit & tepido deuocat ossa rogo.
Cum libet ars tristi depellit nubila cælo
Cum libet æstiuo conuocat orbe niues.
Affinitasq; malas Circes procul exerit herbas,
Ars rapidos Hecates, perdomuitq; canes.
Piotrkoui Nymphæ gratissima munera sume
Ter cane ter doctis vtere carminibus.
Viue diu (Piliosq; simul vel ab omine nostro,
Sit modo fas) annos connumerasse queas.

ODE
DICOLOS DISTROPHOS.

Musarum & artium Heroi-
na Pallas.

V. D.

V. D. IOANNEM OKRASZKOWIC.

Eiusdem facultatis participem red dere nititur.

EHeu fugaces pellite inertię
Rhamnusis studium, Palladius vigor.
Subiecit orbem muneribus suis
Doctus cuncta suo flectere numine.
Non te Ioannes alliciat suis,
Fallens blanditijs pestifera hęc cohors.
Omnem laborem quę cupit eijci
Tę verò liceat munia Palladis.
Agnoße semper post tuus hic breui,
Summum perficiet te labor anxius.
Quamuis Mineruę hoc officium scias,
Neruos vt minuat non animum tamen.
Quin armat almis et studijs iuuat,
Quod natura negat perficit id sua.
Curâ benignâ nunc igitur Deam,
Iucundo sequeris prosper in omine.
Quamuis sagaces tollat honoribus,
Nunc Bellona suos perpetue viros.
Tu pacis autem si cupidus fores,
Expellasq; libens hos faciles dolos.
Pergrata carpes pręmia Palladis,
Carpes Pierijs nata receßibus.

Hunc

Nunc ergo pergas omine proſpero,
Quam ſęclum Pilij viue perennior.

O D E

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

Lauri potens Apollo.

V. D. FRANCISCVM SIKOROWIC.

Lauri cingit corona.

HIc vota Muſæ reddite conſcia
Numen colendum poſcite Apollinis.
Optata veſtrûm vt fine donet
Quod numerus negat iſte ferre.
Veſter nouennis, pectore cum tamen
Prompto cupiſtis ſoluere ſingulis
Gratante vice comprecata
Poſcite perficienda quæſo.
Poſtquam Mineruæ dulcia munera
Sint nota vobis, non neget & ſimul
(Præeſſe cum vobis videtur)
Doctus Apollo ſuos fauores.

Qui

Qui laureatis præsidet omnibus
Laurum petentem pergracili iuuet
Lauri corona, cuius inde
Tempora cincta velit per æuum.
Virtutis almæ splendida munera
Semper volebant vt studium suum
Laurus sequeretur voluntas
Sikôrij fuit, ast videndi.
Huius modesti pectoris indices,
Impressa menti iudicij grauis.
Cultura, moribus decora
Indolis effigies & artis.
Iam quippe dono dignus Apollinis
Vitæ gerendæ cum teneat modum
Est namq; solers nec popelli
Sikorius numerandus vndæ.
Iam perge felix, lætus & omine
Non indecorus, percipe Apollinis
Lauros, honorum post tuorum
Non humiles celebra coronas.

Ana-

Anagramma
IN PLAVDENTEM MVSAM
V. D. SEBASTIANI
MACZOWSKI.
A
MICHAELE SMIALECKI ConCANDIDATO
Testificandi amoris ergo, conscriptum.

BEATVS SANIS.

VErnantem teneræ florem dùm specto iuuentæ
Cogito metra darem quæ modulanda tibi
Cerno Heliconis iter longis te passibus ante
Calcasse: & dulci tùm resonante sono.
Cùm glomerante choro Aonidū Dux lusit Apollò,
Erudiens dextram ad barbita sacra tuum
Versidicam tua tunc Musam libauit & auris
Os metro tinxit barbiros atq; tuum
Et sacri nemoris carpsisti ex arbore laurum
Tempora quâ placuit cingere ritè tua

Iàm bone Maczoui nobis habeare beatus
Sisq; beatus ei, qui quoq; sanus erit
Perficitur vigili cura assiduoque labore
Omne bonum: vigila, ritè beatus eris
Stringere dùm flagras veterum vestigia, perge
AEternum nomen te manet atq; decus.

V. D. LAVRENTIVS TRĄBSKI,

V. D. SEBASTIANO MACZOWSKI,

Amoris ergò,

Clarum Sarmaticis Phœbus produxit è castris
Maczowski, ingenuam Castalidum sobolem.
Hanc iubet. Aoniis sponte inuigilare Camænis,
Vnde perenne orbi profluat omne decus.
Ter trinæ en subito prodière Heliconis alumnæ
Castalidum Musæ, quæ pia facta canunt.
Conspiciunt, placidasq; genas frontemq; serenam.
Musarumq; simul alliciunt genio.

Tunc

Tunc verecunda Clio allambit noua laurea frontem
Compositusq́; tuis fert anadema comis.
Dulcia Sarmaticis resonent tua Carmina in oris
Et canat illustres læta Thalia animas
Nunc tua Apollineas clara ad certamina Musas
Patria, Laurigeros prouocet aucta viros
Eminet ingenium: gratus hac sparta laboris
Jsta lubens tribuo captus amore tui.

In Stemma Academiæ.



Sceptrigerens mater felicia ducit o ſęclâ,
Nam virtute, faues ingenioq; probis.

Sub Felicibus Auſpicijs.

Magnifici & Adm. Rdi. Dni.

IACOBI VITELLII,

Sacræ Theol: Sententiarij ac Profeſſoris, Canonici S. Floriani Coll. Vladiſlauiani Prouiſoris, Almæ Academiæ Crac. ſtudij Generalis.

RECTORIS.

Vigilantiſsimi.

